

taxabatur? Iterum igitur nil morale hic offenditur, nisi ad tempus sub generali præcepto morum delitescens, *quicquid DEVS præcipit vetatve, id ex necessitate est faciendum omittendumve*, quod principium omnes Leges cæremoniales agnoscunt. Quanto melius Maimonide penetravit in rationem interdicti acutissimus Judæorum *Philo*, *ψυχῆς δὲ σπινθηρὸν τὸ* lib. 2. de *ἀσπυα*, *sanguis est animæ expurgatorium libamentum*. Quid er- Vict.
go nunc tandem præsidii pro mortalitate interdicti in Concilio Apostolorum? Si enim cæremoniale est, cur illi ut necessarium serio inculcavere? cur rei moraliter vetitæ, scortationi, copulavere? Ita enim habent verba Concilii; *Visum est Spiritui Sancto & nobis, ne quid amplius imponeretur vobis oneris, quam hæc necessaria; ut abstinere ab idolothytis, & sanguine, & suffocato, & scortatione; a quibus si conservaveritis vos ipsos, bene facietis*. Attendamus autem Concilii scopum primo, deinde & verba concilii ponderemus. Scopus erat ostendere conversis fidelibus cæremoniales leges, seu illa habeant auctorem DEUM, ut inter Judæos, seu diaboli instinctu prodierint, ut in sacris gentium, nil conferre ad viam salutis; uterque autem hic populus erat informandus. Discrimen tamen intercedebat hoc satis conspicuum, cæremonias gentium obesse e diametro veræ religioni, ritus autem Judæorum, ut ut non obsint, non tamen, quod importatiles essent, quicquam prodesse; Inde concludebant contra Judæos Antiochenos, non necessario circumcidendos esse ex gentibus advenas, imò si necessitas circumcisionis urgeatur, neque inter adiaphora ulterius numerandam, sed ut abrogatam Christi instituto habendam esse; Et ita gentibus satisfiebat. Contra Gentes autem hæctenus pro rebus indifferentibus e tritissima consuetudine habentes in primordio Christianæ & nondum satis intellectæ libertatis, *ut vesci idolorum sacris ita etiam scortatione abstinere*, concludebatur, Esse hæc necessaria ut Judæis, ita & ipsis observanda, abstinere idolothytis, sanguine, suffocato & scortatione. Et ita satisfaciebant Judæis. Hic